

nitatis simplicitatis, ipsumque intelligere, et velle unum sunt entitative, id quod procedit per illas, procedit ut unum in eadem essentia, et cum communicatione consubstantiali in eadem natura. Quia vero est infinitas fecunditatis, quia ad perfectionem ipsius intelligere, et velle pertinet fecunditas se communicandi, tum exprimendo, et dicendo in intellectu, tum spirando in voluntate, pertinet ad istud intelligere, et velle quæ substantialiter sunt unum, propter sui eminentiam fundare relationes processionis, quæ sunt oppositæ, et distinctæ; et primo ex ipsa natura ut habente hanc eminentiam consurgit prima Persona relativa, et originativa aliarum, quæ est Pater, qua relatione, et Persona supposita, et ante omnem processionem habita ex vi infinitæ eminentiæ, et fecunditatis divinæ, etiam ipsum intelligere, et velle possunt processionem habere distinctas, non distinctas in ipsa substantia intelligendi, et volendi, sed in ipsa oppositione originis, et relatione, quæ fundantur super eminentia infinita illius essentiæ quæ etiam complectitur esse relativum. Et ita ex parte distinctionem, et originum habent distinctionem, ex parte vero intelligendi et volendi vim, et actualitatem et speciem ut talis, vel talis terminus procedat, scilicet intellectus, vel spiratus.

ARTICULUS VI.

Utrum processio Verbi sit formaliter, et in quarto modo per se generatio?

I. Præsupponit ista difficultas, secundum fidem catholicam, processionem secundæ Personæ, quæ est Verbum, esse generationem substantialem Filii, et disquirat sub qua

formalissima ratione sit generatio, quia plures formalitates, seu respectus in illa processione considerari possunt, ut statim dicemus.

Quod ergo processio illa Verbi sit generatio, et productio Filii contra Arium stabilivit fides catholica, quia hæreticus, ut supra articulo primo vidimus fatebatur Verbum esse intra Deum, per quod facta sunt omnia, sed illud non esse Filium, quia non procedebat a Deo; quod autem erat procedens a Deo, et Filius, dicebant non esse Verbum sed creaturam, solum autem dici Verbum ministerialiter, et tamquam instrumentum Dei, sicut vox externa apud nos est, verbum significans verbum internum. Unde et ipse dixit in libro convivalium, ut refert S. Athanasius a nobis citato loco dicto: « Multa in Deo sunt verba, quodnam ex eis Filium dicemus? » Cæterum fides catholica illud ipsum Verbum quod in principio est apud Deum, et per quod omnia facta sunt, Filium confitetur, quia illud ipsum Verbum dicit Joannes factum esse carnem, et vidisse gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre, Verbum ergo unigenitum Dei est, et consequenter Filius. Nec ista processio Filii est processio ad extra communicans illi diversam naturam, sed processio ad intra quæ Filium generat, non solum substantialem, et similem Patri ut dicebant Semiariani, sed consubstantialem et in eademmet natura Patris subsistentem, ut fides catholica docet.

Supposito ergo quod processio secundæ Personæ, seu Verbi est processio Filii secundum fidem, et consequenter generatio, quia ipse qui procedit vere est genitus, inquirat theologia, sub qua formalitate induit illa processio vim, et rationem generationis. Nam ut sit generatio, et ut ipse procedens sit Filius, debet esse substantia similis Patri, et in

similitudinem ejus procedens, seu expressiva illius imago. Et quidem quod secunda Persona procedens sit similitudo expressiva substantiæ Patris, et imago ejus, bene intelligitur quod id habeat ex vi, et formalitate Verbi, quia Verbum est imago quædam intelligibilis, et similitudo representativa rei intellectæ. Quod vero sit substantialis imago, et representativa Patris intelligentis, non solum essentiæ intellectæ, habet ex eo quod est divina, ubi omnia ista identificantur; et sic non videtur formaliter, et in quarto modo per se processionem Verbi esse generationem, sed solum identice, quatenus divina.

DEFINITIO GENERATIONIS QUOMODO ACCOMMODATUR FILIO.

II. Antequam in difficultate proposita sententias evolvamus, et resolutionem tradamus, oportet generationis veræ et propriæ definitionem supponere, eamque processionem accommodare, ut inde videamus, sub qua formalitate illa processio induere possit rationem generationis. Et oportet accommodare Filio illam definitionem generationis, quæ communiter tradi solet de viventibus: nam si ea generatio, semotis imperfectionibus limitationis et creaturæ non attribuitur Deo, non restat nobis quomodo concipiamus in Deo verum, et proprium Filium, quod fides docet, si illa filiatio, et illa generatio non habet in substantia illas condiciones, quas habet filiatio et generatio, quam ex creaturis accipimus, sed solum nomine, et æquivoce dicitur generatio; sicut si in Deo non esset vera, et propria ratio, et quidditas sapientiæ, quam apud nos videmus, licet non cum imperfectionibus, et limitationibus, quæ apud nos est,

non possemus simpliciter pronuntiare Deum sapientem, sed aliquid aliud, quod non est sapientia et nominatur sapientia, Deo attribueremus.

III. Igitur relicta generatione communiter dicta, et in lata significatione prout reperitur in viventibus, et non viventibus, quæ est mutatio de non esse ad esse in aliquo subjecto, vel quæ est mutatio hujus totius in illud totum, nullo sensibili manente ut subjecto, sicut definit Aristoteles 1 de generat. c. iv, istæ enim definitiones solum sunt de generationibus materialibus, et quæ fiunt cum mutatione, quod nullo modo potest convenire Deo; loquimur in præsentem de generatione strictiori, et quæ solum convenit viventibus, neque in suo conceptu explicat quod sit cum mutatione, sed solum definitur quod sit: Origo viventis a vivente a principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ, quam definitionem tradit S. Thomas in præsentem articulo secundo et cum eo admittunt omnes scholastici, nosque eam explicavimus in lib. de generat. q. 1, a. 1, præsertim quantum ad duas particulas, quæ explicatione indigent, scilicet quod sit a principio vitæ conjuncto, et quod sit in similitudinem naturæ. Nunc breviter dicimus in tribus particulis definitionis explicari omnes quatuor causas quæ ad generationem concurrunt, et eo modo quo concurrere debent. Nam in prima particula origo viventis a vivente explicatur vis, et processio effectiva, qua unum originatur, seu producit ab alio, ut a principio effectivo vitali. Secunda particula, a principio vitæ conjuncto explicat causam materiale ex qua elaboratur, et procedit genitum: oportet enim quod generans effectivum ex sua substantia, seu ex aliquo sibi conjuncto producat suum genitum, illudque

sibi habeat conjunctum, et alligatum, vel semper dum genitum existit, sicut contingit in vita cognoscitiva, vel saltem a principio quando elaboratur proles; sicut in generatione animalium videmus in quibus fœtus colligatur suo generanti a principio, licet ab illo separetur per partum, et ex semine generantis, quod est substantia a generante decisa colligitur materia, ex qua elaboratur fœtus, et virtus ipsa formativa fœtus in semine, seu in partibus ejus subtilioribus, et spirituosis residet. Itaque ex principio ipsi vitali principio conjuncto, id est, ex ipsa substantia generantis, generatur proles. Et licet in animalibus perfectis, in quibus generans integratur ex duobus, scilicet ex mare, et femina, non sit fœtus colligatus utriusque a principio ante partum, sed solum uni, scilicet matri, tamen quia semen decisum a mare, et ex substantia ejus profluens, virtutemque formativam deferens commiscetur semini, et sanguini matris, in matre colligatur fœtus ipsi materiæ, et virtuti utriusque generantis, licet non personæ utriusque, sed matris tantum. In vita autem cognoscitiva, ut in sensu, et intellectu id quod procedit cum fiat per actionem immanentem, fit perfectior colligatio cum principio suo a quo procedit, ut citato loco de generatione expendimus, quatenus ex speciebus conjunctis, et unitis ipsi potentiæ procedit cognitio, vel etiam similitudo verbi-manens intra intellectum. Tertia denique particula, in similitudinem naturæ, et finalem, et formalem causam specificativam generationis declarat. Finalem quidem, quia finis generationis est propagatio generantis in individuo sibi simili, et ejusdem naturæ; inclinatur enim natura ad propagationem sui, ut perpetuetur, quantum fieri potest, si non in eodem individuo, sal-

tem in diversis ejusdem speciei. Formalem autem, et specificativam causam designat, quia generatio specificatur a forma geniti, ut simili, et expressa a generante, ita quod actio generativa ex sua specifica ratione sit assimilativa; et ita genitum non solum debet esse simile generanti in se essentialiter, et in primo modo dicendi per se, sed etiam per viam assimilationis debet ab eo procedere, et in quarto modo per se, ita ut hæc sit tam formalis in quarto modo. Generans assimilatur, sicut ædificator ædificat, calidum calefacit: quia tota formalitas generationis consistit in expressione similitudinis, seu propagatione naturæ, nec aliud est generare quam similitudinem propagativam sui exprimere, sicut dicitur Genes. v: *Adam genuit ad imaginem et similitudinem suam*. Itaque quod facit artifex per idem ad similitudinem exemplaris, facit natura per generationem ad similitudinem naturæ, quia facit propagationem illius in suo simili.

IV. Ut autem videamus quomodo processioni Verbi convenient istæ conditiones.

Objicies primo: Nam in Deo non datur processio ex principio vitæ conjuncto, quia ex substantia generantis non procedit Filius, quia vel intelligitur procedere ex substantia, quæ est essentia, vel ex substantia, quæ est relatio Patris. Ex substantia, quæ est essentia, non procedit Filius, quia essentia est terminus communicatus Filio: ergo non principium a quo procedit. Nec intelligitur bene quomodo ex substantia Patris generetur Filius, quia illa substantia non aliter concurrat ad generationem, quam eo modo quo species fœcundat intellectum, et ex ea intellectus elicit, et exprimit verbum, diciturque ex substantia speciei procedere verbum quia ex objecto repræsentato in specie forma-

tur idem objectum in esse intellectu in verbo. Sic autem nihil formatur in Verbo divino, quia species illa, ut fœcundans intellectum Patris omnem perfectionem, et formationem habet in actu ultimo, cum sit actus purus in esse intelligibili: non ergo ex substantia illa, quæ est species, procedit Filius, quia nihil est in illa substantia quod formetur, sed quod formatum, et intellectum communicetur. Ac denique, quia hac ratione intellectus Patris potius dici debebat mater, quam Pater Verbi æterni, tum quia intellectus parit Verbum ex specie fœcundante; tum quia fœcundatur ab essentia habente vicem speciei: fœcundari autem, et parere proprium est matris. Quid est ergo ibi quod vocetur Pater, cum Persona illa prima sit pariens, et fœcundata ab essentia, essentia autem fœcundans Pater non est? At vero ex substantia, quæ est relatio, non procedit Filius, quia relatio Patris opponitur Filio, ab eoque distinguitur, non Filium constituit: substantia autem ex qua fit genitum constituit illum, et manet in illo.

Secundo, objicitur ex illa particula in similitudinem naturæ, quia hæc non convenit generationi divinæ, quia Verbum procedit ut consubstantiale Patri: ergo ut idem: ergo non ut simile in natura: in Persona autem dissimilis est, quia oppositus in relatione; et sic excedit rationem generationis illa processio, quia excedit rationem similitudinis, et transit in unitatem identitatis. Denique, quia non potest convenire aliqua species alicui, cui non convenit genus: ergo neque species generationis viventis, cui non convenit genus ejus; genus autem hujus generationis est generatio communiter dicta, ut communis est viventibus, et non viventibus: sed hæc generatio communiter dicta non convenit generationi Verbi,

quia illa communiter dicta est mutatio, quæ non potest dici de generatione Verbi, et in illa invenitur aliquid prius et posterius: si enim æque simul est generans, et genitum, non est major ratio cur iste procedat ab illo, quam e contra, quod totum deest in processione Verbi: ergo deest illi genus, seu ratio communis generationis.

V. Ad primum respondetur, Filium procedere ex substantia, quæ est essentia, non quia sit de essentia tamquam de principio quod activo: sic enim procedit ex Patre ut ex principio quod producente, nec ex substantia, prout est relatio, procedit, nisi ut ex constituyente personam, quæ est principium quod generandi, sed quia sit de substantia, seu essentia Patris, ut ex principio formali sibi communicato, et per quod substantia ipsa Filii constituitur, ex eadem quippe substantia est Filius ex qua constituitur Pater. Unde non obstat quod sit terminus communicatus, quia idem quod est in Patre essentiale, et substantiali communicatur Filio; et sic prout in Patre, est principium communicandi, et prout in Filio, est terminus communicatus, sed prout communicatus non est principium, quia ly communicatus est idem quod genitus, et Deus ut genitus non dicit solum essentiam, sed essentiam modificatam tali relatione, et prout in tali relatione geniti, non est principium communicandi, sed terminus, licet eadem substantia sit in principio communicante, et in termino communicato; et sic est a principio vitæ conjuncto, et summe conjuncto, seu uno cum ipso generante, quod est essentia, et hæc ipsa communicatur Filio. Unde cum dicitur Filius procedere ex substantia, vel de substantia Patris, ly de non designat materiam, seu materiale principium, de quo Filius constitui-

tur, sicut in generationibus creatis, quia in Deo non datur materia ex qua fiat aliqua Persona divina. Sed designat formale principium, et integram ac totalem naturam præter Personam producentem, eo quod generatio ista non solum tendit ad similitudinem, sed etiam ad consubstantialitatem. Ude ex substantia debet procedere ut sibi totaliter communicanda, et integre, non ut ex materia generantis formanda; et sic consubstantialis generatio non procedit ex principio materiali generantis, sed formali. Quando autem ex materia generantis formatur genitum, materia illa deciditur, et separatur a generante, ut semen ab animali; et sic non remanet summe unum, et conjunctum cum generante, quia deciditur. Designat ergo ly de substantia principium formale ut recte observat S. Thomas infra q. xli, art. iii ad ii, et ibi Cajetanus nec retinet aliquam conditionem materiæ, ut sustinuit D. Thomas in i, dist. v, qu. ii, art. i quia fieri de aliquo etiam potest intelligi de forma, ut si ex anima jam creata fiat unio ad materiam novam; et sic tota forma, quæ est natura in Filio, accipitur a Patre, et non materia. Et ideo ly de substantia, designat perfectissimam consubstantialitatem, quia non aliqua pars generantis aut materia communicatur Filio, sed forma ipsa quæ est tota natura. Et sic procedit Filius ex substantia quæ est natura Patris, non ut tendens ad distinctam naturam tamquam ad terminum propagatum, sed ut eandem communicans.

VI. Unde patet ad primam replicationem quæ fit ita in argumento: Dicimus enim procedere Filium ex essentia Patris tamquam ex specie fecundante intellectum seu vicem speciei habente, non tamen ex specie imperfecta, et formabili, quasi ex actu primo transeunte in secun-

dum, et ex intelligibili ad intellectum, sed ex specie perfectissima, et in actu secundo, et habente totam et summam perfectionem intelligibilem se communicante per modum locutionis, et expressionis, et ut essentia dicta, et manifestata, non ut magis formata per expressionem in esse intelligibili. Unde cum dicitur nihil est in illa specie quod formetur, etiam in esse intelligibili, concedimus: ergo non procedit Filius ex illa substantia, nego consequentiam: procedit enim ex illa, non ut formetur substantia, sed ut manifestetur, seu dicatur in verbo, non distinctam propagando, sed eandem communicando ipsi verbo manifestanti, et procedenti.

VII. Ad secundam autem replicationem, respondetur quod potius in divinis dicitur pater, quam mater, quia mater importat principium passivum, et potentiale, respectu prolis, nec solum parturire prolem quomodocumque constituit matrem sed parturire sic, scilicet ex fecunditate aliunde recepta, et patiendi illam. Nam, et arbores pariunt flores, nec tamen ratione talis partus dicuntur matres florum, quia non pariunt illos ex receptione passiva seminis aut fecunditatis ad elaborandum, et pariendum fœtum. Cum ergo divinus intellectus non pariat verbum ex aliqua fecunditate recepta, sed ex ipsa substantia sua, et vi activa, quam habet ad communicandum vitam suam, quam habet in semetipso proli a se procedenti, potius denominatur pater, quam mater, parere autem ex propria, et activa virtute non est contra rationem patris. Imo, et intellectus noster, licet recipiat a phantasmatibus species, et sit passivus respectu specierum ideoque dicatur possibilis, seu possibilis intellectus, et intellectus agens quasi active effundat istas species in sinum intellectus, tamen

adhuc intellectus in exprimendo verbum non dicitur se habere ut mater, quia tota vitalitas, et spiritalis intelligibilitas, quæ est in illo conceptu, ex intellectu ipso intelligente, et operante, non ex speciebus venit. Unde D. Thomas iv contra gent. c. xi in fine: « Cum processio, inquit, Verbi secundum hæc dicta sit esse, quod Deus seipsum intelligit, ipsum autem divinum intelligere non est per aliquam virtutem passivam, sed quasi activam, quia intellectus divinus non est in potentia, sed in actu tantum; ideo in generatione Verbi Dei non competit hoc ratione matris, sed solum patris. Unde quæ in generatione carnali distincte patri et matri conveniunt, omnia in generatione Verbi Patri attribuuntur in sacris Scripturis: dicitur enim Pater et dare Filio vitam, et concipere, et parturire. »

VIII. Ad secundum respondetur vere, et proprie procedere Verbum in similitudinem naturæ, et omnia illa verificantur in Verbo secundum diversas considerationes, scilicet quod in natura absolute sumpta sit idem omnino cum Patre: *Ego, et Pater unum sumus*, quod in relatione sit filiatio opposita Patri, et distinctus sit Filius ab illo: *Alius est qui testimonium perhibet de me Pater*, et denique quod Persona sit procedens, et sic accipiens naturam a Patre, sit ejus similitudo, et imago: *Cum sit figura substantiæ ejus, et imago Dei invisibilis*. Nec repugnant ista in eodem secundum diversas considerationes. Nam quatenus consideratur natura, et quidquid absolute perfectionis est in Filio, non est similis, sed omnino idem: quatenus consideratur relatio filiationis, ut correlativa, et ut terminus oppositus paternitati, non est similis, sed dissimilis: quatenus consideratur illa Persona sic distincta, ut acci-

piens eandem naturam modo expressivo, et manifestativo (qui est assimilativus) dicitur perfecte similis Patri in vi suæ characteristicæ proprietatis. Nam ut aliqua sint similia, non requiritur quod forma in quo conveniunt, sit diversa, sed quod subjecta diversa sint, licet forma sit eadem numero; sicut si Deus poneret in duobus lapidibus eandem albedinem, illi duo lapides essent similes in quantum albi, et in hoc simillimi; et si in duobus lignis poneretur eademmet quantitas, essent æqualia. Et si aliquid ex vi alicujus actionis intenderet pervenire ad habendum non solum albedinem sicut alterum, sed eandem quæ est in altero, illa actio esset summe assimilativa. Sic ergo Verbum procedit in similitudinem quatenus licet Persona sit distincta, forma tamen quam accipit a Patre est omnino una cum ipso, et ex vi suæ processionis accipit illam modo assimilativo, id est, exprimendo hanc similitudinem et intendendo eam accipere ut unam intelligibiliter, et manifestative cum Patre. An vero ista similitudo sit relatio realis, inferior exquiritur circa quæstionem xlii, ubi in articulo i ad iv D. Thomas tenet esse relationem rationis quia fundatur in unitate perfecta essentia. Unde etiam potest dici, quod inter Filium et Patrem non est similitudo communis, et ordinaria, seu formalis, sed eminentialis, quia est summa similitudo, quæ identitatem habet in eadem forma, licet Personæ sint diversæ. Et hæc similitudo eminentialis sufficit ad veram, et propriam generationem, imo quanto magis est unum in forma genitum cum generante, dummodo supposita sint distincta, magis salvatur proprietas generationis.

IX. Ad ultimum dicitur, quod id quod est commune in generatione viventium per modum imperfectio-

nis non invenitur in generatione divina. Quod vero est commune, et genericum per modum perfectionis invenitur. Et hoc prædicatum commune, quod non dicit imperfectionem, est origo seu processio, et hoc convenit generationi divinæ. At vero mutatio, et prioritas, aliaque similia sunt prædicata communia imperfecta, et potentialia, solumque conveniunt generationi imperfectæ, et creatæ, non vero divinæ, ut supra etiam articulo tertio ostendimus.

PROCESSIONE VERBI IN DEO FORMALITER
IN QUARTO MODO PER SE EST GENERATIO.

X. Ostendo quod definitio generationis viventis, et particulæ illius conveniunt processionem Verbi divini secundum quam vere, et proprie Filius est, restat videre secundum quam formalitatem, et considerationem generatio substantialis sit: occurrunt enim in processione Verbi divini duo.

Primum, quod sit in linea intelligibilis, ex qua habet quod sit expressio quædam, et repræsentatio intentionalis sed intelligibilis sui objecti seu principii a quo procedit. Et ex vi hujus generis, seu lineæ habet quidem esse imago intentionalis, sed non pertingit ad hoc quod substantialis sit, unde non potest in vi hujus formalitatis esse per se in quarto modo generatio, quia generatio in quarto modo per se est substantialis propagatio.

Secundum, quod occurrit in hac processione est quod sit divina, et ex hac parte habet quidem esse processio substantialis, sed propter identitatem cum ipsa natura divina, quia quidquid in Deo est, substantia est. Hac autem ratione etiam processio Spiritus sancti quatenus divina substantialis est, quia prout di-

vina est intra divinam naturam, ubi nihil accidentale est: ergo si hoc sufficit ut processio intelligibilis reddatur generatio, cur non sufficiet, ut processio impulsiva etiam generatio sit, quia substantialis est, prout divina?

Hæc difficultas in varias sententias auctores detorsit.

XI. Quidam dicunt hanc processionem esse generationem seu substantialem emanationem quatenus divina. Esse autem divinam est quasi materialiter, et ut differentia extranea repertum in illa processione, quia divisio intellectionis penes divinam, angelicam, et humanam est divisio formæ per subjecta, seu quasi accidentis in subjecta, et hoc est materialiter, seu subjective se habere ad intellectionem hoc quod est esse divinam. Est tamen illa processio generativa, quia ex modo procedendi assimilativa est, licet esse assimilativam in substantia habeat quatenus divina. Ita attribui solet Cajetano, tum in hac quæstione xxvii, art. ii, tum infra qu. xxxv, art. ii.

Alii docent intellectionem illam non solum quatenus divina est, et ipsamet substantia identice, et materialiter, sed etiam in sua linea formalissima intelligendi, prout perfectissima, et in summo gradu talis lineæ esse substantialem, et substantialiter generare, licet hoc quod est perfectissimam esse, et in summo gradu non habeat, nisi sit divina. Ita Ferrariensis iv contra gentil. c. xi. Ad quam sententiam accedere videtur p. Suarez lib. xi de Trinitate, c. v, num. xiv et xv, ubi docet, quod ut aliqua productio sit generatio, non requiritur quod secundum communem, et analogam rationem generatio sit, sed secundum particularem, et contractam, et sic intellectio, seu dictio ex sua communi ratione ut abstrahit a creatâ, et in-

creata non est generatio, sed operatio assimilativa intentionaliter. Ut autem particularizatur, et contrahitur ad talem intellectionem, qualis est in Deo, substantialis est, et generatio redditur. Quod autem ex genere suo solum in assimilativa intentionaliter, in particulari vero transeat ad similitudinem substantialem, id habet, quatenus est perfectissima similitudo, et ita operatio intellectiva, quæ de se tendit ad assimilandum, cum perfectissima est, transit in perfectissimam similitudinem quæ est substantialis, et generativa. Quod est ad sententiam Ferrariensis reduci.

XII. P. Vasquez hic disp. cxiii, c. vi rejicit sententias Cajetani et Ferrariensis quia existimat in processionibus divinis non se habere materialiter, et identice tantum hoc quod est esse divinas, sed formaliter, et intrinsece. Unde existimat ex hac parte omnino parificari intellectionem, et spirationem, seu amorem divinum, quia utraque ex vi sua habet constituere terminum procedentem consubstantialem cum suo principio, et ejusdem naturæ, et essentiæ, ita quod tam sit in quarto modo per se ista propositio: Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedit ut Deus, seu æqualis, et similis Deo, sicut istæ: Verbum ex vi suæ processionis procedit ut Deus, quia si in utraque processione consideretur ratio communis, et analogâ, quæ abstrahit a creatâ, et increatâ, scilicet intellectio, et volitio, neutra producit terminum consubstantialem. Si utraque consideretur ut determinata, et increata, utraque ex vi processionis increatæ habet attingere esse increatum, quia habet attingere esse intelligibile, et esse amabile, et utrumque esse substantiale est, nec ratio D. Thomæ urgentior est in uno, quam in alio: probat enim quod Verbum procedit

ut simile in substantia, quia procedit per intellectionem, et intellectio est esse Dei, similiter autem dilectio est esse Dei.

XIII. Igitur Vasquez formalitatem processionis Filii, et generationis reducit ad aliud principium, scilicet quia generatio viventium per se primo tendit ad exprimendum imaginem, quæ sit repræsentativa sui principii; licet enim Filius generetur ut substantialis terminus generationis, tamen ut Filius, et sub formalitate Filii dicit expressionem quamdam, et repræsentationem Patris, et in hoc consistit specialis relatio Filii, ut Filii, quod non solum sit effectus substantialis, sed repræsentativus sui principii; unde videmus quod ignis genitus ab alio igne, licet emanet ut similis igni generanti in substantiæ, non tamen est filius ignis, quia non procedit ut imago expressiva illius. Igitur processio Verbi divini supponit quidem quod substantialis processio sit, et in hoc convenit cum processione Spiritus sancti, sicut generatio hominis convenit in ratione substantialis processionis cum generatione ignis, sed quia processio substantialis secundæ Personæ habet ex ipsa formali ratione Verbi quod sit processio expressiva, et in ratione imaginis, quod non habet processio substantialis tertiæ Personæ, illa est generatio, non ista.

XIV. Cæterum adhuc in ista sententia Vasquez restabat unum explicandum, ex cuius defectu difficultas manet integra. Nam licet verissimum sit quod de ratione Filii sit processio per modum imaginis, ut docet S. Thomas infra qu. xxxv, art. ii, et ita Filius est imago, quia est natus, non autem Spiritus sanctus, licet habeat eandem divinitatem, tamen ut recte in eodem loco, solutione ad tertium advertit S. Thomas, imago dupliciter in aliquo invenitur,